



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

§.II. Quo tempore convocandum sit Concil. Provinc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Metropolitani vicinæ Provinciæ, cum aliquantis ejus Suffraganeis, majorque Synodus, sub Primatu, celebranda; ut, in illa judicetur, quod rectum videbitur. C. I. 2. 3. 4. 5. CAUS. VI. QUÆST. IV.

2. Quod semel in Synodo Particulari constitutum est, non est, nisi in majori, retractandum. C. 6. CAUS. VI. QUÆST. IV.

3. Presbyteri, aliique inferiores Clerici, à Conciliis Provincialibus provocantes, ad alia ejusdem Regionis, vel Nationis, Concilia appellare tenebantur. C. 34. CAUS. XI. QUÆST. III.

4. Injusta Episcopi damnatio, in Synodo facta, tamquam irrita, in alia Synodo est retractanda. C. 35. CAUS. XI. QUÆST. III.

5. Restituta à majori Synodo, contra injustam minoris Sententiam, insignia Ordinis, à quo depositus erat, in illa tradi debebant eo modo, quo in suscipiendo illo ordine acceperat. C. 65. CAUS. XI. QUÆST. III.

6. Natæ, extrâ Provinciam, Primati, ut Metropolitanano subditam, suam tamen intrâ ditionem, Causæ, ipsius cognitioni non subjacent, nisi in secunda Instantia; easque nequit in Synodo Primaliali tractare, nisi jam tractatæ in Concilio Provinciali, per Appellationem ad ipsum deferantur. C. I. CAUS. VI. QUÆST. III.

7. Primatis est, non aliorum Diœceseos, sive Primatiæ, Episcoporum, in Synodo Primaliali, judicare de Causis, propter quas Episcopus deponendus est, vel Episcopatu renuciare debet. C. 3. CAUS. VI. QUÆST. III.

8. Cùm Concilia Particularia inter se dissident, præferenda sunt aliis, quorum major est autoritas. C. 28. DIST. L. C. II. §. in fine CAUS. XXIII. QUÆST. II.

9. Si Episcopus damnatus in Synodo Provinciæ suæ, ad Papan appellet, potest iste causam retractandam remittere alteri Concilio, quod, ut possit prioris Sententiam reformare, debet esse in propria autoritate majus, nisi ex commissione judicet; quo casu erit tantum majus, aliena autoritate. C. 35. CAUS. II. QUÆST. VI. C. 7. CAUS. VI. QUÆST. IV.

§. I.

A quo Provinciale Concilium sit convocandum?

Præquam quæsitum in hoc §. I. circa Concilium Provinciale, decidatur, indicanda sunt Juris Canonici loca, quæ de illo Concilio loquuntur, ac è quibus potissimum hauriemus, quæ de illo dicturi sumus. Sunt ergo ista: DIST. XVIII. tota QUÆST. III. & IV. CAUS. VI. C. 25. de Accusat. C. 2. SESS. XXIV. de Ref.

REGULA UNICA.

Solus est Metropolitanus Concilium Provinciale convocare, nisi sit legitime impeditus, quo casu, ad Coepiscopum seniore id pertinet. C. 8. DIST. XCII. C. I. DIST. XCVI. Exceptio legitur in cit. C. 2. SESS. XXIV.

RATIO. Ecclesiæ Provinciali est Episcopus, cujus caput est Metropolitanus. Capitis est autem convocare Corpus, in quod Jurisdictionem habet.

Hinc Concilium Provinciale integrum & perfectum non habetur, cui non interest Metropolitanus, C. 8. DIST. XCII.

Hinc irritum declaratur, quod in Concilio, sine Metropolitanis autoritate coacto, ab Episcopis Provincia tentatur. C. I. DIST. XCVI. §. quod si.

§. II.

Quo tempore convocandum sit Concilium Provinciale.

REGULA.

Circâ Tempus, quo Concilium Provinciale convocandum est, variant Canones in Corpore Juris inserti: Quæ diversa habent, ad tria reducuntur.

Prima pars Regule patet ex secunda: ista verò, cùm sit, quoad vim, negativa, probari nequit, nisi solutione eorum, quæ opponi possunt, qualia nulla occurrunt.

1. Jubent, ut bis in anno convocetur, idque omnes, à Can. 36. Apost. usque ad Sextam Synodum Generalem.

2. Hæc Synodus permittit, ut semel tantum in anno convocetur; quod renovatur à Septima Synodo Generali, pluribusque post sæculis, ab INNOC. III. in Concilio Later. IV.

Denique, Concilium Trident. præcipit, ut saltem quolibet triennio, celebretur.

Quoad Primum, lege Canonem 36. Apost. C. 2. 3. 4. 6. 15. & DIST. XVIII. in quibus videbis, jam à primis sæculis, in quibus conditi creduntur Canones Apostolici jussu fuisse, ut bis in anno Concilium Provinciale celebraretur. Deindè, idem præceptum à Conciliis Nicæno, Calcedonensi, & Antiocheno, ac à Martino Bracar.

Quoad Secundum, lege C. 7. ejusdem DIST. XVIII. in quo VII. Synodus Generalis dicit, se innovare, quod VI. indulerat, ut Concilium Provinciale semel in anno convocaretur; & C. 25. de Accus. ubi Innoc. III. in Concilio Later. Metropolitanis injungit, ut, juxta vetus Sanctorum Patrum institutum, Concilium Provinciale singulis annis celebrent.

Quoad Tertium, vide C. 2. SESS. XXIV. in quo Conc. Trid. præcipit, ut, sicubi omnia sint Concilia Provincialia, renoventur, & quolibet triennio celebrentur.

Nota obiter, quosdam ex citatis Canonibus determinasse, in qua Anni parte celebranda sint Concilia Provincialia: nam Conc. Nic. injunxerat, ut unum antè Quadragesimam, aliud circa Autumnum celebrarentur. Conc. Antioch. jussit, ut unum tempore medio, inter Paschæ & Pentecosten, aliud verò Idibus Octobris convocarentur, Concilium verò Trident. præcepit, ut ista Concilia, post Octavam Paschæ, aliove commodiori tempore, juxta Provinciæ morem, celebrentur. Hujus Decreti executio variis Edictis in Gallia præcepta est; Nempè Edictum Melodunense 1580. Edictum 1610. & Declaratio 1646. sed ab An. 1624. nullum ibi celebratum Concilium Provinciale, quod hoc nomine dignum ab omnibus censetur.

Instit. ad Jus Eccles. p. 25. Tom. 2.

§. III.

Qui ad Concilium Provinciale vocandi.

Hujus quæstionis decisioni præmittendum est, posse quem ad Concilia vocari, ut judicet; vel, ut judicetur; vel, ut, quæ sua refert, exponat, & audiat; vel, ut, suo alios consilio juvet.

REGULA I.

Soli Episcopi Provinciales vocandi sunt, ut Judices, ad Concilium Provinciale: sed, ut judicandi, quilibet Clerici, etiam Episcopi, modò sint Provinciæ subditi; imò & Laici, si de Clericis conquerantur.

Prima Pars patet 1. Ex eo, quòd Concilium Provinciale à S. LEONE vocetur Concilium Episcopale. 2. Ex eo, quòd Concilium Antiochenum loquens de vocandis ad illud Concilium solum meminit Episcoporum.